Nos Michael Iudex et Dobeslaus Subiudex terre Cracouiensis generales Notum facimus quibus expedit vniuersis presen-
tibus et futuris presencium noticiam habituris Quod cum pro tribunali sedebamus accedentes ad nostram iudiciique assessorum
presenciam nobiles viri Iohannes Iunior Iohannes fratres Katherina et Hanna sorores germani heredes de Czulicze sa-
ni mente pariter et corpore existentes non compulsi nec coacti neque aliquibus dolo vel fraude circumuenti Sed bona
animorum suorum deliberacione prehabita fretique maturo ipsorum consilio amicorum Omnimodam eorum villam dic-
tam Marcinkowice in terra Cracouiensi prope Welicziam situatam ipsos ex successione paterna et quodlibet concernen-
tem cum ipsius ville omnibus iure dominio utilitatibus fructibus redditibus prouentibus incolis censibus domibus
tabernis molendinis areis edificiis ortis agris campis pratis pascuis lacubus piscinis aquis fluminibus stagnis
paludibus siluis borris mellificiis graniciis rubetis quercetis metis pinetis et vniuersis pertinenciis quibus-
libet emolumentis que ibidem sunt et inposterum fieri possunt nichil pro ipsis et successoribus eorum iuris dominii
seu utilitatis ibidem reseruando pro Quingentis marcis grossorum Pragensium numeri Polonicalis consueti Sere-
nissimo principi domino nostro Wladislao Regi Polonie etc. ad Ciuitatem Welicziensem et eidem Ciuitati rite
et racionabiliter in totum vendiderunt et tytulo vendicionis coram nobis inperpetuum iudicialiter resignarunt
promittentes ipsum dominum Regem et Ciues dicte Ciuitatis occasione dicte ville ab omni impedimento atque
dampno vbilibet exbrigare Per eundem dominum Regem et Ciues Welicienses et successores ipsorum prefa-
tam villam cum suis pertinenciis iure hereditario et perpetualiter tenendam habendam utifruendam possidendam
commutandam vendendam et in vsus ipsorum beneplacitos conuertendam Helena vero mater dictorum venden-
cium in huiusmodi vendicionem ville consenciens omni iuri dotis et dotalicii suo si quod in dicta villa
habuit inperpetuum renunciauit In cuius rei testimonium presentes mandauimus scribi et nostrorum
appensione sigillorum fecimus communiri Actum et datum Cracouie feria tercia prima post diem
sancte trinitatis Anno domini Millesimo CCC° nonagesimo octauo Presentibus nobilibus viris dominis
Clemente de Moskorzow Vicecancellario Regni Polonie Clemente Castellano Zarnouiensi Cle-
mente de Lappanow Prandota de Nepresna Prandota de Przelank et Bortone de Czeremez
heredibus ac pluribus aliis testibus fidedignis

1 4

1398

Emptio Mariankoven per
[illegible] capituli [illegible] Anno
[illegible]
1398

Mariankovenz emptio

N° 500

N° 1510 [illegible]

N° 69

~~N°~~

N° 14.